

**<Lib. I, Q. 3, Art. 3: Utrum infinitatis positiva condicio sit evidenter demonstrabilis de qualibet entis primaria ratione>**

1. Tertius articulus erat iste: Utrum infinitatis positiva condicio sit evidenter demonstrabilis de qualibet entis primaria ratione.

5

**<Status articuli>**

2. Pro cuius araticuli declaratione sic procedam: primo praemittam quasdam conclusiones; secundo contra ipsas obiciam per rationes doctorum quas modulo meo solvam; et tertio ponam modum quo Dei infinitas est catholice profitenda.

10

**<Conclusio 1>**

3. Quantum ad primum pono quinque conclusiones, quarum prima sit ista: cuiuslibet rei exsistentia est positivum medium inferendi realiter infinitatem intrinsecam primi gradus. Haec conclusio sic probatur: quaelibet exsistentia increata infert infinitatem primi gradus, et quaelibet exsistentia creata similiter; ergo conclusio vera. Consequentia patet, quia omnis exsistentia est creata vel increata. Et antecedens pro prima parte patet, quoniam quaelibet exsistentia increata est infinita; ergo ab uno ad aliud est consequentia bona.

4. Sed si DICATUR quod ista consequentia non videtur bona, 20 quoniam non sequitur ‘omnis homo est albus, ergo si homo est album est’, et ita est in proposito. Sed LICET hoc sit verum in propositionibus de per accidens, non tamen in propositionibus de per se. Unde bene sequi videtur ‘omnis homo est animal, ergo si homo est animal est’. Et ita fuit in proposito quare prima consequentia fuit bona et per 25 consequens prima pars antecedentis vera. Secunda pars probatur quoniam sequitur ‘aliquid creatum est, ergo aliquid creans est’. Et sequitur ‘aliquid creans est ergo Deus est’, et ultra ‘ergo aliquid infinitum est’; ergo de primo ad ultimum ‘aliquid creatum est ergo aliquid infinitum est’. Omnes consequentiae intermediae sunt 30 catholice concedendae, ergo et illa de prima ad ultimum. Et per consequens apparet quod quaelibet exsistentia est positivum medium inferendi aliquid esse infinitum.

5. Praeterea, propositio necessaria est consequens ad quamlibet ad propositionem, et sicut impossibilis est antecedens ad quamlibet 35 propositionem. Sed haec propositio ‘aliquid infinitum est’, est propositio necessaria, ergo haec propositio ‘aliquid infinitum est’ sequitur ex qualibet propositione. Consequentia patet, et maior per regulam generalem logicorum quae dicit quod ex impossibili sequitur quodlibet et necessarium quodlibet unitatur(?). Et potest aliunde 40 probari, nam quandocumque ita est quod impossibile est antecedens esse verum sine consequente, tunc semper ita est quod consequentia est bona. Sed in consequentia cuius consequens est propositio

necessaria, impossibile est antecedens esse verum sine consequente, quoniam impossibile est propositionem necessariam esse falsam; ergo propositum. Et minor patet, quoniam Deus est infinitus; quare 45 propositum.

**6.** Praeterea, a quolibet essentialiter dependente, necessario infertur aliquod independens; ergo conclusio vera. Consequentia patet et antecedens probatur, nam sequitur ‘nullum independens est, ergo nullum dependens est’. Consequentia patet ex terminis. Et tunc ultra: ergo ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis ‘aliquod dependens est, ergo aliquod independens est’. Sed ex consequente sequitur quod aliquod infinitum est; ergo propositum.

**7.** Si DICATUR quod illa consequentia valet ratione connotationis terminorum et non ratione exsistentiae rerum, CONTRA: constat quod quaelibet res creata et finita intrinsece est dependens. Quod probo, quoniam si per extrinsecum esset dependens, cum Deus possit conservare omnem rei intrinsecum, destruendo quodlibet sibi extrinsecum, sequitur quod posset facere aliquam rem independentem quod est impossibile.

**8.** Similiter signo illam dependentiam qua talis res est dependens, et quaero an illa sit dependens, vel non. Si non, idem quod prius quod esset plura independentia. Si sic, vel intrinsece vel extrinsece. Si primo modo, habetur propositum. Si non, ponitur processus in infinitum; quare propositum. Et per consequens prima consequentia bona fuit ex intrinseca rei condicione, quare appetet rei cuiuslibet exsistentiam inferre primi gradus infinitatem.

### <Conclusio 2>

**9.** Secunda conclusio est haec: nulla(?) rei finitae positivae est sufficiens medium inferendi formaliter aliquod infinitum simpliciter intensivum. Ista conclusio sic probatur: quaelibet consequentia formalis vel est syllogistica vel enthymematica; sed nulla syllogistica consequentia ex exsistentia rei tantum infert Deum esse vel infinitum esse; nec enthymematica; ergo conclusio vera. Consequentia et maior patent. Sed minorem pro qualibet sui parte declaro. Non syllogistica, quia syllogizmus non potest fieri ex duobus terminus tantum, quoniam in omni syllogizmo requiruntur semper tres termini, videlicet maior extremitas, minor et terminus medius. Nunc autem sumpta certa creatura et Deo, ex illis non potest formari syllogizmus; quare propositum. Nec etiam enthymematica, quoniam quaelibet talis vel est ab inferiori ad superius vel e contra, vel a convertibiliter se habentibus, vel ab hypothetica ad alteram partem vel e contra. Sed constat quod propositio denotans exsistentiam rei finitae tantum, non se habet per modum inferioris ad illam in qua denotatur esse infiniti nec superioris, nec convertibiliter, nec per modum hypothetice| vel e 85

contra; quare propositum. Verbi grata, licet sequatur necessario, ut dicit prima conclusio ‘Sortes est, ergo infinitum est’, non tamen formaliter. Nam Sortes non est inferius ad Deum loquendo de inferioritate terminorum, nec superius, nec convertibiliter; quare ab 90 uno ad aliud non est illatio formalis.

**10.** Praeterea, non magis est intrinsecum alicui infinito exsistere rei finitae quam suum non exsistere. Ergo quam ex exsistentia alicuius rei finitae per oppositum opinantem sequitur aliquod infinitum esse, tam ex non-exsistentia eiusdem sequitur aliquod infinitum esse. Et per 95 consequens ita formaliter sequitur ‘Sortes non est, ergo aliquod infinitum est’, sicut ‘Sortes est, ergo aliquod infinitum est’; sed hoc est falsum, ergo et antecedens, videlicet quod ex aliqua illarum sequatur formaliter aliquod infinitum esse. Falsitas consequentis probatur, quoniam tunc ista consequentia esset bona et formalis 100 ‘Sortes est vel Sortes non est, ergo aliquod infinitum est’. Probatur, quoniam quidquid sequitur ex qualibet parte disiunctivae, sequitur ex tota disiunctiva. Si ergo per adversarium tam ex Sortem esse quam ex Sortem non esse, sequitur infinitum esse; habetur propositum. Sed hoc est falsum, quoniam tunc ex opposito consequentis inferreretur 105 oppositum antecedentis, et per consequens ista consequentia esset bona ‘nullum infinitum est, ergo Sortes est et Sortes non est’; sed consequens includit contradictionem, ergo et antecedens. Et per consequens aliqua propositio categorica mere negativa includit contradictionem, quod communiter negant logice tractatores. Quare 110 appet manifeste exsistentiam rei finitae nullatenus inferre formaliter primi gradus infinitatem.

**11.** Praeterea, quaelibet negatio alicui affirmationi contradictoria tante praecise negat quante sua opposita affirmatio ponit. Probatur, quoniam si latitudo negationis esset maior latitudine affirmationis vel 115 e contra, signo unam per *a* et aliam per *b*. Tunc sic: *a* est maior *b*, sit gratia exempli *a* negatio, *b* affirmatio, et sit *c* illud per quod est maior. Tunc auferatur *c* ab *a*, et quaero an *a* contradicit *b* vel non. Si sic, ergo 120 *c* nihil faciebat ad hoc quod *a* contradiceret *b*. Si non, quaero: aut *c* contradicit alicui parti *b*, aut non. Si non, ergo per ablationem *c*, adhuc *a* contradicit *b*. Si sic, hoc est contrapositum quod per *c* *a* excederet *b*. Et per istud argumentum probatur generaliter quod quanta est positio 125 tanta est privatio vel negatio opposita, et tunc sic infinitum esse non ponit nisi praecise exsistentiam deitatis ex propria ratione. Ergo et Deum non esse non negabit nisi rationem deitatis esse. Ergo ista consequentia non est plus formalis: ‘infinitum non est, ergo Sortes non est’, quam ista ‘Plato non est, ergo Sortes non est’; et per consequens ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis non est consequentia formalis. Et ita non sequitur formaliter ‘Sortes est,

ergo Deus est', et qua ratione de Sorte, eadem ratione de quolibet alio finito. Sic igitur apparet quod ex nullo finito infertur formaliter aliquod infinitum esse; quod est propositum.

**<Conclusio 3>**

**12.** Tertia conclusio est haec: per nullam mutationis rationem specificam est nobis convincenti ratione demonstrabile aliquid exsistere simpliciter infinitum. Haec conclusio sic probatur: omnis potentia naturaliter infatigabilis in sua actione, eadem virtute qua potest aliquid movere per horam, potest et per duas et sic per tempus infinitum; sed virtus primi motoris in movendo primum mobile est potentia naturaliter infatigabilis in sua actione; ergo eadem ratione qua potest movere aliquid mobile per tempus finitum potest et per infinitum. Sed per hoc quod movet aliquid mobile praecise per tempus finitum, non iudicaretur virtus infinita intensive; ergo nec per hoc quod movet per tempus infinitum potest concludi convincenter sua virtus infinita. Tota ista deductio patet. Sed probo maiorem primi syllogizmi, videlicet quod potentia infatigabilis eadem ratione qua movet per horam et per duas et sic in infinitum, quoniam quaelibet potentia manens in eadem dispositione semper sine quacumque variatione, qua ratione potest movere per certum tempus, eadem ratione per duplum et sic in infinitum, cum potentia respectu motivi semper se habeat in eadem proportione; quare illa maior vera. Sed minor apparet, quoniam quaelibet potentia inalterabilis et incorruptibilis est infatigabilis; sed potentia primi motoris est inalterabilis et incorruptibilis; ergo propositum. Maior est nota, et minor ab omnibus concessa communiter; quare propositum.

**13.** Praeterea, ex infinita velocitate motus non potest demonstrative concludi infinita virtus moventis, immo tanta praecise; sed constat quod primum mobile habet praecise velocitatem finitam ut patet in motu omnium corporum caelestium; ergo ex tali motu non potest determinative convinci infinitas primi gradus. Consequentia patet et minor similiter. Sed maior probatur, quoniam quaecumque finita velocitate data, illa habet certam proportionem ad aliam. Signo, gratia exempli, velocitatem cursus equi et similiter illam caeli, ex quo est finita proportio velocitatis ad velocitatem, ergo similiter motoris ad motorem ad minus in ratione movendi, et per consequens per talem numquam posset convinci infinitas motoris. Nec valet si dicatur quod motor plus movet quam mobile moveatur, quia tunc alicui motori activae nulla responderet passiva motio, et etiam hoc non est notum, et per consequens per ignotum totaliter numquam probaretur talis infinitas.

**14.** Praeterea, vel primus motor movet libere vel naturaliter; sed non est demonstrabile quod moveat libere quoniam istud philosophi

simpliciter negaverunt. Si ergo more philosophorum diceretur quod moveret naturaliter, tunc movet quante potest movere. Tunc sic: ex aliqua virtute motoris mobile aliquante velociter movetur, et ex dupla proportionaliter applicata in duplo plus movetur. Ergo ubi esset potentia infinita naturaliter movens, moveret in non-tempore, et per consequens non moveretur mobile. Sed hoc est contra experientiam cum videamus mobile moveri; ergo ex tali motu nullatenus concluditur virtus infinita. Et qua ratione dicitur de motu locali, eadem ratione de qualibet specie motus; quare propositum.

**<Conclusio 4>**

**15.** Quarta conclusio: nullius effectus condicio propria est convincens demonstrationis medium infinitatem primi gradus simpliciter concludendi. Haec conclusio sic probatur: vel hoc esset ex mutabilitate effectus, vel ex magnitudine, vel ex pulchritudine, vel ex bonitate. Non primo modo, ut probatum est in praecedente conclusione. Nec ex magnitudine, quoniam caelum et omnia quae videmus finita sunt. Nec ex pulchritudine ipsorum similiter. Nec ex bonitate, quoniam bonitas sequitur entitatem; ergo ubi entitas finita ... et bonitas. Et per consequens ex nulla tali condicione potest infinitas concludi.

**16.** Praeterea, si ex aliqua condicione alicuius effectus posset probari infinitas, maxime videretur ex ratione perpetuitatis creaturarum; sed hoc non oportet, quoniam si Sortes aeternaliter fuisset, etiam unguis vel ossa Sortis aeternaliter fuissent, et tunc ex tali ratione non plus concluderetur maior perfectio in Sorte quam in ossibus suis vel unguibus vel capillis; et per consequens propositum.

**17.** Et confirmatur, nam non maioris perfectionis est unum individuum unius speciei inferioris per hoc quod plus durat quam individuum superioris; aliter omnes lapides essent hominibus perfectiores, quod non videretur verum. Et hoc est quod dicit Aristoteles, *I Ethicorum*, quod albedo unius diei non est perfectior albedine unius anni.

**18.** Praeterea, quandocumque aliqua ratio est pluribus communis, per illam rationem non plus concluditur aliquid competere uni quam alteri, ut alias dictum est. Cum igitur, secundum viam philosophorum, aeternitas sit communis materiae primae, caelo et elementis, secundum medias ipsorum portiones sequitur quod non plus per rationem aeternitatis concluderetur Deum esse infinitum

C 56ra

---

**133,186** probatum est] Cf. supra n. 12-14. **201** dicit Aristoteles] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, I, c. 9 (AL XXVI-4, 384; A, c. 9; 1198a 18-20): Una enim yrundo ver non facit nec una dies. Ita utique nec beatum et felicem una dies neque paucum tempus.

quam caelum vel materiam primam. Et per consequens sequitur quod 210  
ratio aeternitatis non est ratio demonstrative convincens aliquid in  
rerum natura existere infinitum; quod est propositum.

**<Conclusio 5>**

**19.** Quinta conclusio et finalis est haec: infinitam intensive 215  
consistere primi gradus fundatam est tantum creditivo vel probabili  
medio a viatoribus concludendum. Haec conclusio quasi videtur sequi  
correlarie ex praemissis, quae tamen aliqualiter declaratur. Et primo  
ex fide appetet auctoritatibus Sacrae Scripturae Ad Rom. 1: *Invisibilia  
Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspicuntur  
sempiterna quorum virtus eius et divinitas.* Similiter Sap. 13 dicitur: A 220  
*magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit eorum  
Creator videri.* Unde ex Psalmista: *Magnus Dominus et laudabilis  
nimis et magnitudinis eius non est finis.* Ex quibus conclusio quoad  
illam partem de creditivo appetet vera.

**20.** Praeterea, istam conclusionem probo per medium probable: 225  
sicut se habet materia prima ad infinitatem, sic primum in entibus ad  
finitatem; sed materia prima sic se habet ad infinitatem quod  
impossibile est ipsam esse infinitam; ergo et sic primum in entibus ad  
finitatem, quod impossibile est ipsum esse finitum; et per consequens  
propositum. Consequentia est manifesta, et maiorem probo quoniam 230  
totus ambitus entis habet duos terminos, vicelicit purum actum quem  
dicimus Deum et puram potentiam quam materiam appellamus. Nunc  
vero potentiae purae semper est imaginabilis aliqua perfectio ipsam  
perficiens, et per consequens negatio summae perfectionis et ita  
negatio infinitatis. Similiter puro actui repugnat per aliud partialiter  
esset potentialis et ita non purus actus, quare in se includit infinitam 235  
perfectiōē, cum non sit imaginabilis additio suae perfectioni, aliter  
non esset purissimus actus; et per consequens propositum.

**21.** Praeterea, conservatio alicuius rei per aliquod tempus arguit 240  
aliqualem virtutem in conservante, et conservatio per duplum tempus  
arguit, ceteris paribus, duplam virtutem in conservante, et sic in  
infinitum; ergo conservare rem perpetualiter arguit infinitam virtutem.  
Cum igitur tota mundialis machina sit dependens, cuius continua  
conservatio est ab uno primo, sequitur propositum.

**22.** Praeterea, quaelibet res tanta in esse actuali quanta in esse 245  
possibili est simpliciter infinita; sed Deus est res tanta in esse actuali  
quanta in esse possibili; ergo Deus est simpliciter infinitus.  
Consequentia patet et minor, quoniam Deo non est imaginabilis

---

**218** Invisibilia...220 divinitas] Rom. 1, 20.      **220** A...222 videri] Sap. 13, 3.      **222**  
Magnus...223 finis] Ps. 144, 3.

- perfectionis additio cum sit infinitae| nobilitatis, ut vult Philosophus  
 250 XII *Metaphysicae*. Sed maior probatur, quoniam latitudo possibilitatis videtur infinita ex utraque parte, quia quacumque re finita data, contingit imaginari perfectiorem in esse possibili; ergo ubi latitudo actualitatis in aliquo est aequalis latitudini possibilitatis, sequitur quod tale est simpliciter infinitum. C 56rb
- 255   **23.** Ex quibus omnibus conclusionibus sequitur pars articuli negativa. Et ista positio est totaliter fundata contra imaginationem magistri Ioannis de Ripa qui dicit quod quilibet gradus essendi demonstrative concludit immensam magnitudinem primi gradus. Et similiter contra imaginationem Doctoris Subtilis quorum rationes  
 260 communiter adducam.

**<Argumenta Ioannis de Ripa>**

- 265   **24.** Contra imaginationem istius positionis arguo nunc per quinque media quae facit magister Ioannis de Ripa, 3<sup>a</sup> quaestione 2<sup>ae</sup> distinctionis I<sup>o</sup> libri, articulo 4<sup>o</sup>. Et arguo primo sic: sit *a*, gratia exempli, primum simpliciter a quo omnis alia entitas derivatur esse vel saltem dependet. Tunc arguo sic: vel *a* est infinitae remissionis vel finitae tantum intentionis vel infinitae intensionis. Non primo modo, quoniam ab *a* fluit omnis gradus circa ipsum *a*, ergo *a* non est infinitae remissionis. Et consequentia patet, quia cum in talibus productis sit  
 270 productio aequivoca, sequitur quod *a* est perfectius quocumque ab eo producto tali productione. Si detur secundum, contra: tunc inter *a* et non-gradum simpliciter est tantum finita latitudo essendi; sed cum quaelibet latitudo finita habeat gradus intrinsecos ex quibus imaginari a replicatis constituitur tota huiusmodi latitudo, sequitur quod  
 275 quantitas *a* per quemcumque gradum remissiorem *a* finities replicatum, est posterior naturaliter tali gradu, sicut quilibet numerus est posterior unitate, sequitur quod *a* gradus non est simpliciter primus gradus, contra dictum.  
 280   **25.** Confirmatur, nam cuiuslibet latitudinis intensivae constitutae ex variis gradibus, necessario prior est gradus remissior quam intensior, nam gradus intensior magis distat a non esse simpliciter et ideo naturaliter praexigit gradum remissiorem et aliquid superaddit. Sed *a* est simpliciter primus gradus, ergo *a* non distat a non esse simpliciter per aliquam latitudinem finitam tantum. Si detur tertium,  
 285 habetur intentum, videlicet quod est infinitum.

---

**133,279** latitudinis] infinitae *add. sed del.* C | intensivae constitutae] *inv. sed corr. signis transp.* C

---

**249** vult Philosophus] ARIST., *Metaph.*, XII, c. 10 (AL XXV-3, 268-269; Λ, c. 10; 1975b 22-1076a 4).

**26.** Praeterea, sit *b* aliquod ens remissius a cuius esse dependet ab *a*. Et arguo sic: *a* infinite excedit *b*, et *b* est aliquantulum, ergo *a* est infinitum. Consequentia est nota. Probatur prima pars antecedentis, quoniam si non infinite excedit *b*, detur ergo quod tantum finite, puta in proportione dupla. Tunc arguo sic: *a* est praecise duplum ad *b*, ergo 290

C 56v *a* praecise habet duplum gradum essendi simpliciter ad *b*; sed consequens est falsum, ergo et antecedens. Cuius falsitas sic probatur: quoniam si *b* plene esset sibi sufficiens ad proprium gradum essendi ita quod per ipsum *a* nullo extrinseco dependeret, *b* esset perfectius quam nunc est, sed tunc esset praecise subduplum ad *a*, ergo nunc est 295 minus quam subduplum ad *a*, et sic de quocumque gradu alio citra *a* potest argui; quare propositum.

**27.** Praeterea, si *a* per excessum solum finitum excedit *b*, sequitur quod in eadem altitudine essendi simpliciter *a* gradus finite tantum plus distat a non esse simpliciter quam *b*, et si sic cum quilibet gradus citra *a* derivetur causaliter ab *a*, vel saltem aliquo modo dependet ab *a*, sequitur quod quantumlibet parvo excesso signato in latitudine essendi *a* per minorem latitudinem excedit aliquid citra *a*. Sed *b* per aliquam latitudinem imaginarie divisibilem excedit aliquid citra *b*, sequitur quod aliquid quod per se est possibile esse, hoc est 300 contingens nec sufficiens ad esse magis excedit perfectionaliter certum contingens quam faciat per se necesse esse aliquid signabile contingens, quod videtur absurdum; quare propositum.

**28.** Praeterea, si *a* esset duplum ad illud quod est et triplum et sic in infinitum, non esset intensive maius quam nunc est; ergo *a* nunc est intensive infinitum. Consequentia patet. Et antecedens probatur: nam quantumlibet *a* excogitetur magnum et per quamcumque talem rationem magnitudinis *a* non plenius sufficeret sibi ipsi ad esse vel ad conservationem suorum effectuum quam nunc facit, ergo quam pro tunc esset infinitum, tam et nunc. Consequentia ista patet. Probatur 310 antecedens: quoniam *a* sic sufficit sibi ad esse quod per se est necesse esse; ergo quantumlibet poneretur aliquid maius *a*, ipsum non esset magis sufficiens ad esse quam *a* est, nec etiam alicui citra *a*, quoniam *a* non minus est sufficiens cuiilibet citra *a* ad esse quam sibi ipsi, cum 315 quodlibet citra *a* derivetur ab ipso *a* vel saltem in *a* finaliter quietatur; et per consequens contradictionem implicat imaginari aliquid perfectius activum quam sit *a*; quare *a* est infinitum.

**29.** Praeterea, dato aliquo per imaginationem superiori *a*, illud esset aliqua intelligentia sicut est *a*; vel ergo intelligeret aliquid citra *a*, vel non. Si sic, et non nisi per hoc quod sua essentia esset ars et ratio 320 causalis cuiuslibet talis, et cum *a* sic intelligit quodlibet citra se a

---

305 est<sup>2</sup>] sufficiens add. sed del. C 313 sibi] ad esse add. sed del. C

priori, videlicet causaliter qui est modus perfectissimus intelligendi,  
 sequitur quod quam praecise<sup>351</sup> talis intelligentia esset ars causalis  
 cuiuslibet citra *a*, tam praecise intelligeret quodlibet tale. Sed non  
 330 intensius esset ratio causalis alicuius citra *a* quam nunc est *a*, ergo nec  
 intensius intelligeret et per consequens talis esset aequa perfecta  
 praecise sicut *a*. Et sicut arguitur de hoc, ita de quocumque alio, et per  
 consequens *a* est infinitum.

**30.** Quod autem non intensius esset ratio causalis quam *a*,  
 335 probatur quia non magis independenter se haberet respectu cuiuslibet  
 citra *a* quam nunc de facto *a* se habet, nec praestantius se haberet cum  
 aequa sit causa totalis sicut illa esset; sequitur propositum. Ex quibus  
 appetit quod necessario oportet quod aliud tale sit infinitum.

**<Responsio Petri ad rationes Ioannis de Ripa>**

**31.** Ad istas rationes respondeo. Et dico ad primam cum  
 quaeritur de *a* vel est infinitae remissionis vel tantum finitae  
 intensionis vel infinitae intentionis, dico breviter quod posset dici  
 secundum, videlicet quod est finitae intensionis sicut communiter  
 345 imaginantur aliqui sensisse Philosophum quod Deus non erat infinitus  
 intensive sed tantummodo durative. Et tunc ad probationem cum  
 dicitur quod tunc *a* esset posterior certo gradu in latitudine essendi,  
 nego istam. Ad probationem, quia talis latitudo constituitur ex variis  
 gradibus et per consequens intensior praesupponit remissionem, hic  
 dico aut imaginatur tales gradus distinctos ab esse *a*, vel non. Si sic,  
 350 falsum esset quod assumit, quia per id probaret quod esse hominis  
 praesupponit esse asini, quod est falsum. Si vero non, dico tunc quod  
 nullus est prior altero. Et dato quod unus esset intensior et alias  
 remissior, ita unus requirit aliud sicut e contra, quia concurrunt  
 unitive ad constitutionem talis primi gradus, et sic nihil concludit. Vel  
 355 posset dici ex quo talis res indivisibilis nullus est talium graduum  
 concursus; et sic adhuc ratio nihil valet.

**32.** Ad secundum cum dicitur quod *a* infinite excedit *b* certae  
 intensionis, negatur. Ad probationem cum dicitur quia si non, sit,  
 gratia exempli, quod praecise in duplo, quidquid sit de hoc, non euro.  
 360 Admittitur tamen, gratia agenti, tunc sic: si *b* esset sibi sufficiens ad  
 esse, *b* esset perfectius quam nunc est, et tunc esset subduplum ad *a*;  
 ergo nunc est minus quam duplum. Hic dico primo quod huiusmodi  
 modus arguendi nihil valet, verbi gratia homo finite excedit asinum.  
 Sit gratia exempli quod in duplo, tunc arguo ut ipse arguit: si asinus  
 365 esset homo, esset perfectior quam nunc est, et tunc esset in subduplo

---

351 dico] quod add. sed del. C

---

340 ad primam] Cf. supra n. 24. 357 Ad secundum] Cf. supra n. 26.

C 57<sup>ra</sup> minus perfectus] quam homo, quia adhuc esset asinus de quo facta fuit positio; ergo nunc de facto est minus quam in subduplo minus perfectus. Iste modus arguendi parum valet propter impossibile quod assumit. Verumtamen diceretur ad materiam positionis suae: vel vult quod *b* maneat illud idem essentialiter adveniente sibi hoc quod est habere sufficientiam essendi a se ipso, vel non. Si sic, dico quod non est magis perfectum intrinsece. Si non, tunc *a* est destructum, et nihil ad propositum.

**33.** Ad tertium cum dicitur quod si *a* est finitae intensionis, sequitur quod finite tantum plus distat a non esse simpliciter quam *b*. Sit in nomine Domini. Et cum dicitur quod tunc sequitur quod quantumlibet parvo excessum signato in latitudine essendi, *a* per minorem latitudinem excedit aliquid citra *a*, concedo. Et *b*, per imaginativam divisibilem latitudinem excedit aliquid citra *b*, sit ita, quia suam medietatem. Et cum infertur, ergo contingens plus excedit illud quod est citra se quam necesse esse, certe hic est unum sophisma miserum, quia ita quantumlibet parvo excessu signato in latitudine essendi *b*, per minorem excessum excedit aliquid citra *b*, nam li aliquid stat ibi confuse tantum sicut et in alio, et haec truffa est.

**34.** Ad quartum cum eicitur quod quantumlibet *a* imaginetur magnum per quamcumque talem rationem, *a* non plenius sibi ipsi sufficeret ad esse et conservationem suorum effectuum quam tunc. Hic dico quod si loquitur de effectibus qui nunc sunt, forsan ita est quod condicio talium effectuum non requirit perfectiorem causam de se ipso quoad hoc quod non potest non esse, verum est. Sed quoad hoc quod haberet perfectius esse, falsum est. Nec aliud argumentum istud colorate concludit.

**35.** Ad quintum cum dicitur quod si daretur aliquid per imaginationem supra *a*, illud per hoc intelligeret omnem effectum citra *a*, quia esset ars causalis illorum effectuum, et per consequens tante esset intelligens quante causans. Sed non esset magis ratio causalis quam nunc est *a*; ergo etc. Hic dico breviter quod istud argumentum aequa concluderet de qualibet alia intelligentia sicut de prima. Nam signo intelligentiam secundam quae sit *a*, et sit, gratia exempli, causa istorum inferiorum. Probo per idem argumentum quod ista est prima intelligentia, quoniam prima intelligentia non videtur magis ratio causalis quam nunc est ista secunda. Sed non aliter intelligit istos effectus nisi per hoc quod est ratio causalis illorum

---

366 minus] *forte del.* C 379 latitudinem] *mg. C*

---

374 Ad tertium] Cf. supra n. 27. 385 Ad quartum] Cf. supra n. 28. 393 Ad quintum] Cf. supra n. 29.

effectuum; ergo tante intelligit quante est ratio causalis. Et per  
 405 consequens tante secunda intelligit quante prima, quod non videtur  
 verum. Dico<sup>419</sup> igitur quod si quantitas rationis causalis attendatur penes  
 effectum, non plus videtur una maior quam alia. Si vero penes modum  
 agendi, ratio nihil concludit, cum per effectum modus agendi principii  
 nobis non multum innotescit. Ut patet, quoniam modus agendi Dei ad  
 410 extra est creativus, qui tamen nobis non innotescit ex creaturarum  
 productione. Sic igitur apparet quod rationes in rei veritate non sunt  
 tanti sicut ponderantur, et ita permanet praefata conclusio in sui  
 roboris quiditate.

C 57rb

**<Argumenta Ioannis Duns Scoti>**

415     **36.** Contra eandem conclusionem arguo per rationes Doctoris  
 Subtilis quas facit *I Sententiarum* distinctione 2 quaestione 1, dicebat  
 namque illa conclusio quod ex nullo effectu est nobis convincenti  
 ratione demonstrabile aliquid fore simpliciter infinitum. Arguit igitur  
 primo sic: primum efficiens movet tempore infinito, ergo primum  
 420 efficiens est infinitum intensivae. Antecedens patet, VIII *Physicorum*,  
 et est etiam necessarium de possibile, licet non de inesse. Sed  
 consequentia probatur: causa habens a se in virtute sua activa effectum  
 infinitum est infinita; sed potens movere motu infinito habet in virtute  
 425 sua effectus infinitos; ergo cum causa prima sit talis, sequitur quod  
 habet virtutem infinitam. Tota deductio et minor apparent. Declaratur  
 maior: omnes effectus successive producibles in infinitum eminentius  
 sunt in causa quam in se, vel saltem aequa nobiliter; sed non sunt ibi  
 formaliter, quia tunc successive esset ens infinitum sicut successive ...  
 430 sunt immensurata(?); igitur sunt ibi virtualiter et per consequens simul  
 ista, et ita causa huiusmodi est infinita intensive.

37. Praeterea, aliquantae perfectionis est posse producere unum  
 et proportionaliter maioris perfectionis est posse duo talia et sic in  
 infinitum; ergo infinitae perfectionis est posse infinita; sed causa  
 prima quantum est ex parte sua potest infinita; ergo de facto est  
 435 virtutis infinitae. Consequentia et maior patent. Declaro minorem,  
 quia agens quod potest in motum infinitum, potest in effectus infinitos

---

**422** activa] *scrip. pos.* infinitum *sed corr. signis transp.* C

**419** primo sic] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 64, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 133); nota bene: quia argumenta Scotti videbantur sumi potius ex *Reportatione I-A*, notavimus locos parallelos ex hac editione potius quam ex sua Lectura vel Ordinatione.     **420** VIII *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VIII, c. 10 (AL VII-1, 334-335; Θ, c. 10; 266a 10-24).     **431** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 66, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 134).

successive. Sed quantum est ex parte sua simul potest in omnes; sed prima causa est huiusmodi; quare propositum.

**38.** Praeterea, quaelibet causa quae ex se potest in effectus infinitos de facto est infinita intensive; sed prima causa est huiusmodi; ergo etc. Probatur minor, quoniam causalitas secundae causae nihil perfectionis addit ad causalitatem primae, immo quanto plures causae secundae concurrunt ad aliquem effectum, tanto effectus est imperfectior, ut appareat quoniam primus Dei effectus perfectissimus inter omnes appareat; ergo videtur quod prima causa, quantum est ex parte sua, habet causalitatem perfectissimam respectu omnium effectuum possibilium vel exsistentium; ergo est perfectionis et virtutis infinitae intensive. Et maior est de se nota ut prius; quare propositum.

**39.** Praeterea, omnis intellectus actualiter et distincte infinita cognoscens est infinitus; sed intellectus primae causae est huiusmodi; ergo etc. Consequentia patet. Declaratur maior, quoniam ubi pluralitas arguit perfectionem, infinitas arguit infinitam perfectionem; sed perfectius est duo intelligere quam unum solum, ceteris paribus, aliter non esset maioris perfectionis scire plures scientias quam unam solam; ergo infinita scire arguitur infinitam scientiam et perrectionem. Sed minorem probo, quoniam Deus est intellectualis naturae et actu intelligens et cognoscens; aut ergo intelligit se perfectissime quante est cognoscibilis, aut non. Non est dicendum quod non, quia sic se ipsum ignoraret, et per consequens non esset summe perfectus. Si ergo detur primum, ergo intelligit se esse finem omnium rerum quod cum ita sit in rei veritate. Sed hoc non potest intelligere perfecte nisi etiam intelligat quarum est finis, aliter intelligeret se esse finem Sortis et ignoraret sortem, quod non videtur imaginabile. Et per consequens intelligit omnia et ita actu infinita, quare et habet intellectum infinitum. Et cum ipse sit sua in essentia, sequitur quod est infinita essentia; quod est propositum.

**40.** Praeterea, si cognitio distincta uniuscuiusque rei esset in rerum natura ab alia cognitione alterius distincta, omnes illae cognitiones simul facerent unum infinitum in perfectione secundum multitudinem. Si ergo Deus quodlibet distincte cognoscit, sequitur quod ubi tales cognitiones per aequivalentiam tantum valent, quantum Dei sola cognitio, sequitur quod Dei cognitio est actualiter infinita

---

**439** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *.Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 67, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 134-135). **450** Praeterea]  
IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 69, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 133135-136).

intensive; sed nunc ita est; ergo propositum. Ista minor patuit prius;  
475 quare etc.

**41.** Praeterea, nulli finito repugnat esse aliquid eminentius; sed eminentissimo repugnat esse aliquid eminentius; ergo eminentissimo repugnat esse fintium, et per consequens est formaliter infinitum. Maior et consequentia patent, et minor est de se nota; quare 480 propositum.

**42.** Praeterea, cuicunque non repugnat infinitum intensive, et ex sua ratione habet quod sit perfectissimum, illud numquam est tale nisi fuerit infinitum; sed Deo non repugnat infinitas intensiva, et ex sua ratione habet quod sit perfectissimum; ergo de facto non esset perfectissimum nisi esset infinitum; sed de facto est perfectissimum, ergo et infinitum. Maior apparet ex quo nulli rationi entis repugnat ratio infinitatis, non videtur quare possit a ratione perfectissimi excludi; et minor videtur satis manifesta; quare propositum.

**43.** Praeterea, illud quo maius ex cogitari non potest, est; sed 490 quolibet finito maius ex cogitari potest; ergo quo maius ex cogitari non potest est infinitum. consequentia patet. Et antecedens probatur, quoniam illud esse est possibile cum nullam videatur includere contradictionem; sed cum non possit esse ab alio, sequitur quod de facto est, et per consequens infinitum est.

**44.** Praeterea, quaelibet potentia tendens in aliquod obiectum 495 habet suum obiectum in quo finaliter quietatur; sed voluntas est potentia tendens in bonum tamquam in obiectum proprium; ergo oportet quod in aliqua eius ratione finaliter quietetur. Consequentia patet. Maior declaratur, quoniam potentia quae non potest in aliquo 500 quietari videtur vana et superflua in natura cum non possit consequi finem suum; ergo oportet quod quaelibet potentia sic in suo obiecto possit finaliter quietari, cum “Deus et natura nihil agunt frustra,” ut vult Philosophus, I *De caelo et mundo*. Sed tunc voluntas in aliqua ratione sui obiecti finaliter quietatur; sed in nulla ratione boni 505 formaliter limitata potest talis potentia quietari; ergo de necessitate est aliquod bonum infinitum voluntatis quietativum. Et istae sunt rationes quae possunt elici ex dictis istius doctoris quae, quamvis sint probabiles, non tamen demonstrativae.

C 57vb

**476** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 71, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 136). **489** Praeterea] IOANNIS

DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 73, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 137). **495** Praeterea] IOANNIS DUNS SCOTI, *Reportatio I-A*, d. 2, p. 1, q. 3, n. 75, ed. A. WOLTER-O. BYCHKOV (St. Bonaventure U.-FIP 2004, p. 138).

**503** vult Philosophus] ARIST., *De caelo*, I, c. 4 (A, c. 4; 271a 33); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 161: Deus et natura nihil faciunt frustra.

## &lt;Responsio ad argumenta Scoti&gt;

**45.** Ad quas per ordinem respondeo. Et primo ad primam cum arguitur: prima causa potest movere per tempus infinitum, ergo est infinita intensive, breviter concedo antecedens, id est per infinitum tempus potest movere, quia quocumque tempore dato, per maius potest movere, et sic quaero: quid intelligit 'habere' per habere ex se in virtute sua activa infinitos effectus vel sine fine? Et nego consequentiam. Ad probationem cum dicitur quod causa habens ex se in virtute sua activa effectum infinitum est infinita, quaero quid intelligit per habere ex se in virtute sua activa infinitos effectus? Vel quia ex materia potest deducere infinitos effectus eiusdem rationis, vel diversarum rationum, vel quia in potentia sua habet omnes tales effectus quos potest in esse ponere sine concursu cuiuscumque alterius causae efficienter vel materialiter requisitae. Si secundo modo intelligeret, hoc simpliciter sibi negarent philosophi, quia talis modus videtur esse creativus quem impossibilem philosophi iudicarent. Si vero intelligit primo modo, aut intelligit de eductione specifica, aut individuali. Si primo modo, adhuc hoc sibi negarent philosophi, videlicet quod ex materia prima potest educere infinitas species, quoniam omnes species secundum eos sunt aeternae. Si ergo intelligit de eductione ex materia per modum individualem concurrentibus secundis causis, dato quod sic sibi concederetur, non sequeretur adhuc quod talis potentia activa sit infinita. Sicut, verbi gratia, ignis potest ex materia infinitos ignes producere, et tamen ex hoc non sequitur quod sit infinitus in virtute; sit igitur apparent quod ratio non concludit.

**46.** Ad secundum cum dicitur aliquantae perfectionis est posse producere unum, et maioris duo talia, hic dico quod istud forsitan valet in potentiis fatigabilibus, sed in potentiis infatigabilibus non videtur verum. Nam si per imaginationem infinita passa applicerentur alicui potentiae infatigabili successive, illa potentia respectu cuiuslibet eorum haberet semper aequalem proportionem. Ideo ubi illa passa essent aequalia, cum semper eadem maneret proportio, semper sic continue ageret, et tamen talis virtus non esset infinita.

**47.** Aliter etiam potest dici quod ubi illa in quibus esset processus in infinitum essent eiusdem rationis specificae, quamvis ibi esset infinitas extensiva. Tamen ex hoc non argueret infinitatem intensivam in potentia producendae, quia nullum eorum est maioris perfectionis intensive quam gradus specificus et summus sua speciei. Unde si per imaginationem aliquis ignis produceret infinitos ignes, et aliquis homo unum hominem, adhuc maior virtus intensiva argueretur ex parte hominis quam ex parte ignis in quantum individuum

---

**510** ad primam] Cf. supra n. 36. **534** Ad secundum] Cf. supra n. 37.

550 superioris speciei excedit perfectionaliter speciem inferiorem. Sic igitur apparet quod talis extensiva infinitas non arguit virtutem infinitam intensive.

**48.** Ad tertium cuius radix est quod illud cui finitum additum nullum argumentum praebet est formaliter infinitum, sed concursus 555 secundae causae ad primam non praebet primae causae aliquid maioris vigoris, hic dico secundum viam Philosophi quod licet, secundum quod mihi apparet innitendo principiis Aristotelis, non posuerit primam causam effectivam sed tantum finalem. Tamen adhuc hoc concessso, dico quod secundum principia Aristotelis non quodlibet fit 560 ex quolibet, sed determinatum ex determinato. Et cum creatio secundum ipsos etiam sit impossibilis, non concederent philosophi quod Deus aliquid immediate producit, sed secundae causae agunt in virtute primae, ita quod corruptio et generatio, et alteratio et augmentatio, est solum in sphaeris elementorum, et non in quinta 565 essentia, et ideo talia agentia absque dubio nihil addunt de perfectione activa Deo, sed ipse semper uniformiter agit. Unde imaginatio argumenti quasi videtur in isto simili: si Sortes trahit navim, et Plato adveniens nihil addat ad motionem<sup>553</sup> Sortis, tunc adhuc tantus vigor potentiae est sicut prius. Sed in proposito non sic dicarent philosophi 570 Deum habere effectus in sua activitate, immo Deus, sive Sortes agat sive non agat, aequaliter semper influit. Et ex hoc non inferreretur quod esset infinita activitas intensive, cum productio non sit nisi individuorum in speciebus finitis, ut experientia physica docet; et sic 575 appareat fundamentum illius rationis.

**49.** Ad quartum cum dicatur de intellectu infinita actualiter cognoscente, hic dico quod philosophi non posuerunt Deum habere cognitionem corruptibilium propter alterum istorum inconvenientium: quia tunc vel Deus haberet cognitionem singularium a se ipso, vel reciperet a tali corruptibili. Si primo modo, corrupto singulari, 580 corrumperetur actualis cognitio talis singularis, et sic Deus alteraretur, quod erat absurdum. Si secundo modo, sic vilesceret intellectus Dei, et ideo hac ratione motu singularium et corruptibilium cognitionem amoverunt ab eo. Sed bene habet aeternorum cognitionem, et quia illa sunt numero finita, ex hoc dicarent ipsi quod non haberet cognitionem nisi tantum modo finitorum.

**50.** Verumtamen adhuc eundo ad mentem suam, dato quod intelligereret infinita numero, adhuc negaretur sibi quod esset infinitus

C 58rb

---

**550** perfectionaliter] perfectionabiliter *sed corr. C*

---

**553** Ad tertium] Cf. supra n. 38. **575** Ad quartum] Cf. supra n. 39.

intensive. Nam multi theologi tenent, ut Magister etiam videtur dicere, quod anima Christi cognoscit totum quod Deus, et tamen non sequitur quod sit infinita. Similiter concedunt theologi quod beati cognoscent omnia praesentia et per consequens cognoscunt omnes partes alicuius continui, et cum illae sunt infinitae sequitur quod infinita cognoscunt, et tamen nullus ex hoc dicit ipsos habere intellectum infinite intensive. Cum ergo dicit ubi pluralitas arguit maiorem perfectionem sequitur quod infinitas, sed ita est ibi. Unde hoc negaretur; unde dicerent quod non est maioris perfectionis unum intelligere quam duo. Nec hoc probat, nec illud est per se notum, quare nec ratio multum concludit.

**51.** Ad quintum cum dicit si essent infinitae cognitiones quod illae facerent infinitum secundum multitudinem, hic breviter diceretur faciliter quod unumquodque “sicut se habet ad entitatem, ita ad cognoscibilitatem.” Et quia iam de facto quaecumque sunt in mundo, secundum vias philosophorum, sunt finita secundum speciem, ideo non essent nisi finitae cognitiones. Si autem capiatur entitas individualis, sic posset concedi infinitas talium individuorum et similiter cognoscibilitas. Et tunc sicut ex entitatibus nulla argueretur intensiva infinitas, sic similiter nec ex cognitionibus talium argueretur intensiva infinitas. Ergo sicut ubi omnes illae entitates<sup>c 58va</sup> concurrerent in unam, non redderent unam intensivam infinitatem, sic pariformiter in proposito diceretur. Sic igitur apparet quod non sequivaleat(?) huic per aequivalentiam correspondent infinitae cognitiones, ergo hoc est infinitum intensive; quare propositum.

**52.** Ad sextum cum dicitur nulli finito repugnat aliquid eminentius, sed eminentissimo hoc repugnat, ergo <etc.>, hic dico quod forma modicum valet. Unde similiter probaretur quod albissimum non est album, quoniam nulli albo repugnat aliquid esse albius; sed albissimo repugnat esse albius; ergo albissimum non est album. Si forma sua valet, et mea. Si mea peccat, simile peccatum in ratione sua assignabo, quoniam ipse sic intelligit quod rationi infinitatis, ut sic, non repugnat ratio perfectioris; sed ratione eminentissimum. Sic ergo sic intelligendo, meum argumentum similiter concludit. Dico tamen ad rem quod ista repugnantia, vel capitur realiter, vel solum formaliter et logice. Secundo modo verum est; sed primo modo diceretur quod falsum est, quia illud est supremum omnium est <in>finitum et tali repugnat habere eminentius

---

**588** Magister] PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, III, d. 14, c. 2, n. 1 (ed. I. BRADY, III, p. 91). **598** Ad quintum] Cf. supra n. 40. **600** sicut...601 cognoscibilitatem] ARIST., *Metaph.*, II, c. 1 (AL XXV-3, 44; a, c. 1; 993b 31); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 118: Unumquodque sicut se habet ad entitatem, sic se habet ad veritatem. **612** Ad sextum] Cf. supra n. 41.

625 in re, cum nulla causa hoc possit facere. Sic ergo apparet quod illud argumentum procedit per viam aequivocationis de repugnantia; quare propositum.

**53.** Ad septimum cum dicitur quod cuicunque non repugnat esse infinitum intensive, et ex sua ratione habet quod sit perfectissimum, illud numquam est tale nisi fuerit infinitum, hic breviter dico quod argumentum potest totaliter reduci ad oppositum. Nam cuicunque non repugnat esse finitum, et habet ex sua ratione quod sit perfectissimum, illud numquam est tale nisi fuerit finitum. Sed nulli rationi entis repugnat esse finitum; ergo propositum. Absque dubio ex illo assumpto ita concluditur propositum sicut oppositum. Dico tamen pro materia argumenti quod, secundum philosophos, finitas et infinitas videntur esse passiones quantitatis, et ideo non dividunt, secundum ipsos, ambitum entis sed solum genus quantitatis, et ex hoc apparet quod enti transcenderent sumpto non repugnat finitas vel infinitas, sicut ratio inferioris non repugnat superiori, sicut ratio asini non repugnat animali. Ex hoc igitur inferre quod aliquid sit infinitum per hoc quod non repugnat rationi entis est directe arguere a superiori ad inferius per aequivalentiam; quare argumentum non multum cogit.

**54.** Ad octavum cum dicitur illud quo maius ex cogitari non potest, est, ergo aliiquid infinitum est, dico<sup>628</sup> quod secundum istam viam negaretur antecedens, quia multa potest homo cogitare quae non possunt esse secundam naturam, ut montem aureum et caelum quadratum, et multa talia quibus philosophi nullatenus consentirent. Et cum dicitur quod hoc est possibile, dico ut alias dixi quod si capiatur possibile pro eo quod non includit contradictionem, nihil est ad propositum. Nam per istum bonum Deum non esse est possibile, et tamen a nullo potest fieri. Et ex hoc inferre ‘ergo Deum non esse est’, consequentia nihil valet. Si vero caperetur pro possibili secundum naturam, illud sibi negaretur quod aliquid tale esset sicut etiam quod infinitum sit; quare propositum.

**55.** Ad nonum et ultimum cum dicitur de obiecto voluntatis quod non potest esse aliquid finitum ipsius totaliter quietativum, quidquid sit de hoc non multum euro. Tamen ut alias dixi in 1º articulo 2<sup>ae</sup> quaestionis non erat demonstrabile quod voluntas non posset quietari in aliquo finito. Verumtamen venio ad redicem

C 58vb

---

**649** philosophi] non add. sed del. C | nullatenus consentirent] inv. sed corr. signis transp.  
C

---

**628** Ad septimum] Cf. supra n. 42.    **645** Ad octavum] Cf. supra n. 43.    **657** Ad nonum]  
Cf. supra n. 44.    **659** alias dixi] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 2, a. 1 ???

rationis. Radix namque illius rationis est quod ex desiderio voluntatis vult aliquid infinitum concludere, quod non videtur bonum fundamentum, quoniam “voluntas est impossibilium,” ut dicit Philosophus, III *Ethicorum*. Et ideo ex medio innitenti impossibili 665 velle aliquid probare videtur instabile fundamentum. Quoniam per idem probabo plures deos esse, quia ex sua libertate hos duos posset appetere et velle <et> in nullo ilorum per se quietari. Quare adhuc remanet praefata conclusio in sua firmitate.

**<Responsio auctoris ad quaestionem>**

670

**56.** Restat ergo ostendere qualiter theologice est Dei infinitas exprimenda. Pro quo est advertendum quod sex modis potest imaginari aliquid esse infinitum. Uno modo in potentia, pro illo videlicet cuius quantitatem accipientibus semper restat ad aliquid accipendum; totum tamen quod accipitur est in se finitum, et sic 675 sumit Philosophus, III *Physicorum*.

**57.** Alio modo potest infinitum intelligi secundum rationem individui et secundum quid, ut si imaginemur unam lineam ex utraque parte infinitam, illud esset infinitum in actu. Et posset dividi in duo infinita per imaginationem, scindendo illam lineam in aliquo certo 680 punto, tunc ex utraque parte remaneret adhuc linea infinita, ad minus secundum unum extremum. Et tale dicitur infinitum modo individui, quia adhuc talis linea non includeret omnes lineas in se ipsa.

**58.** Tertio modo potest infinitum intelligi modo speciei, videlicet C 59<sup>ra</sup> prout[<sup>1</sup>] quodlibet quod potest participare rationem specificam alicuius speciei esset in rerum natura, ut si omnes homines possibles exsisterent simul, ita quod non esset imaginable aliquem hominem posse esse quin esset tunc talis species esset actualiter infinita. Et si unum individuum haberet totam huiusmodi perfectionem, dicetur 685 690 actualiter infinitum.

**59.** Quarto modo potest infinitum intelligi modo generis, ut verbi gratia si omnes qualitates possibles exsisterunt quae possunt talis generis naturam participare, tunc tale genus esset actualiter infinitum cum omnis eius particularis et specifica ratio esset ad actum reducta.

**60.** Quinto modo potest infinitum intelligi per modum transcendentis sic quod quidlibet participans rationem entis in esse actuali vel possibile actualiter exsisteret in rerum natura, et sic posset intelligi unum universum esse infinitum.

---

**664** dicit Philosophus] ARIST., *Eth. Nic.*, III, c. 4 (AL XXVI-4, 414; 1111b 22): Voluntas autem est impossibilium, puta immortalitatis. **676** sumit Philosophus] Cf. ARIST., *Physica*, III, c. 4 (AL VII-1, 113; Γ, c. 4; 203b 15-18).

700     **61.** Sed sexto modo posset intelligi infinitum unum ens in quo eminenter continerentur omnes rationes participantes naturam entis.

705     **62.** Applicando igitur ad propositum: Dei infinitas non potest intelligi primo modo, quia caret ratione totius et similiter perfecti. Secundo modo similiter non, quia dicit infinitatem secundum quid et diminutam. Tertio modo non, quia licet haberet rationem perfecti in tali esse, non tamen simpliciter. Quarto modo propter eandem rationem. Quinto modo non, quia ut sic dicit congregationem, immo quilibet illorum quinque modorum intelligitur per modum cuiusdam congregationis.

710     **63.** Abstrahendo igitur ab omnibus istis modis id quod est imperfectionis, et retinendo id quod perfectionis, videbitur statim sextus modus qui de Deo competit adaequate. Imperfectionis est potentialitas, similiter imperfectionis est limitatio, ut est ratio speciei et generis; similiter imperfectionis est aggregatio. Secludamus omnia ista, tunc videbimus actum purissimum ab omni potentialitate segregatum; similiter actum in quem unitive concurrunt, non per modum aggregationis, omnes denominations perfectionum simpliciter transcendentem.

720     **64.** Ex quibus appareat quod infinitas est modus intrinsecus actualitatis ab omni potentialitate sequestratae in qua unitive concurrunt absque aggregativa condicione et speciei vel generis limitatione omnes denominations perfectionum simpliciter transcendentem.

725     **65.** Et sic appareat quod deitas ipsa intelligitur per modum quiditatis subsistentis, et ideo appareat quod tali de necessitate competunt illae tres condiciones de quibus tantum disputamus, videlicet primitas, cum nihil possit imaginari extra istum modum prius, id est unitas, nam contradictionem includit plura talia esse, ex quo in suo ambitu unitive quidquid perfectionis est includit infinitas.

730     Ex quo extra suam rationem nihil aliud infinitum potest cogitari. Et iste est modus quo Christiani intelligunt aliquid esse Deum. Et ideo non est mirum si talia non possumus demonstrative concludere, cum sint ita remota a sensibus inde capimus principium nostrae cognitionis. Sic igitur appareat quid est de tota ista quaestione dicendum.

735                         **<Ad argumenta principalia>**

737     **66.** Ad rationes igitur adductas in principio quaestionis respondeo. Et primo ad primam cum dicitur nulli rationi entis correspondet ratio primitatis, istam nego. Ad probationem cum dicitur quod in rationibus entis est processus in infinitum, hic dico quod si

C 59rb

---

737 ad primam] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 3, a. 1, n. 2.

intelligam per istum modum quod quacumque ratione entis finita data, 740  
possibilis est alia perfectior in qualicunque proportione, istud  
concedo. Sed ex hoc non sequitur quod nullum sit primum. Nam  
quacumque specie finita signata, Deus potest producere perfectiorem  
et perfectiorem, cum eius potentia ad extra non sit limitata per  
maximum in quod potest; sed licet hoc sit verum de possibili, non  
tamen ita est de facto. Et ideo talis processus negaretur a qualiter  
exsisterent maxime in entibus intellectualis naturae. Et quando  
probatur iste processus quod inter quascumque species sunt infinite  
possibles intermediae, per illam radicem manifeste apparet quod non  
excluditur ratio primitatis, cum inter illos terminos imaginetur 750  
processus huiusmodi faciendus.

**67.** Ad secundum cum assumitur quod nulli rationi entis  
correspondet formaliter omnium perfectionum essentialium plenitudo,  
ista negatur. Ad probationem cum dicitur quod si alicui competeteret,  
maxime competenter deitati, concedo. Et quando dicitur quod est  
falsum, nego. Ad probationem, quia multiplicato in aliquo bonitatis  
dicit perfectionem, hic dico quod ubi bonitas compatitur secum  
finitatem, tunc talis multiplicatio bene esset maioris perfectionis, sed  
ubi nulla esset possibilis additio, ibi nullam superadderet  
perfectionem, sicut si quantitati infinitae adderetur pedale, per illud  
additum tale infinitum non redderetur maius. Et ita est in proposito de  
quantitate virtutis; quare etc. 755

**68.** Ad tertium cum assumitur quod nulli rationi entis  
correspondet infinitas, hoc nego. Et ad probationem cum dicitur  
aliquid malum est, ergo nullum infinitum bonum est, nego istam  
C 59va consequentiam. Ad probationem cum dicitur quod omnis potentia  
virtutis infinitae excedit quodlibet sibi repugnans formaliter vel  
virtualiter; sed si infinite bonum ponatur, illud est virtutis infinitae;  
ergo excludit omne malum. Hic breviter dico quod si esset aliqua  
potentia naturalis infinita naturaliter agens, hoc esset verum; sed in  
potentia voluntaria non oportet. Et ideo Deus, quamvis sit infinitum  
agens, tamen ad extra mere voluntarie agit, et ideo mala fieri permittit.  
Non ergo sequitur est infinitum bonum, ergo nullum malum est. 760

**69.** Et ad confirmationem Aristotelis, III *Physicorum*, de  
causalitate infinita, quae si esset, nullam finitatem permitteret, apparet 770

---

741 qualicunque] perfectione *add. sed del. C* 756 multiplicato] multiplicatio *sed corr. C*

---

752 Ad secundum] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 3, a. 1, n. 3. 763 Ad  
tertium] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura n I Sent.*, q. 3, a. 1, n. 4. 774 ad confirmationem]  
Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 3, a. 1, n. 5.

quod exemplum illud est de potentis mere naturaliter agentibus, et ideo modicum facit ad propositum.

**70.** Et si DICATUR: quomodo ergo philosophi dalgant malitiam moralem cum ponant Deum naturaliter agere? Ad haec POSSET  
780 DUPLICITER dici. Primo modo quod philosophi non posuerunt primam causam infinitam activam sed tantummodo in genere causae finalis, ut dictum est supra, et per hoc nihil concluderetur. Verumtamen si posuissent activam ad extra mere naturaliter agentem in vigore, licet sit infinita durative, et per hoc radix rationis tolleretur. Secundo modo  
785 posset dici quod ipsam non posuerunt activam sed tantummodo in genere causae finalis, ut dictum est supra, et per hoc nihil concluderetur. Verumtamen si posuissent activam ad extra mere naturaliter agentem et cum hoc infinitam, non video quin haberent concedere consequentia evenire de necessitate, tamen causae secundae  
790 nullo modo possent resistere suae actioni. Sic igitur apparet quid est dicendum ad illas rationes. Et ita sit hic finis et terminus tertiae quaestio. Sequitur quaestio quarta.

---

782 dictum est] Cf. supra ???